

A dit pro inuicem oratio, quæ in amici memoria tanto efficacius, quanto affectuosius admittitur, profluentibus lacrymis, quas uel timor exercet, uel affectus elicit, uel dolor educit. Ita pro amico orans Christum, ipsum desideranter & diligenter intendit, subito transit affectus in affectum, ipsius Christi dulcedinem tangens incipit gustare quam dulcis est, & sentire quam suavis. Ita à sancto illo amore quo amplectitur amicum, ad illum concendens quo amplectitur Christum, spiritalem amicitiae fructum capit.

FINIS

DIVI AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI,  
de sermone domini in monte secundum Matthæum,  
Liber Primus.



ER M O N E M quem locutus est dominus noster Iesus Christus in monte, sicut in Euangeliō secundum Matthæum legimus, si quis pie sobrieçp consyderauerit, puto quòd inueniet in eo, quod ad mores optimos pertinet, perfectum uitæ christianæ modum. Quod polliceri non temere audemus, sed ex ipsis eiusdem domini uerbis coniuentes. Nam sic ipse sermo concluditur, ut appareat in eo præcepta esse omnia quæ ad informandam uitam pertinent. Sic enim dicit, Omnis ergo qui audit uerba mea hæc & facit ea, assimilabo eum uiro sapienti, & reliqua usq; ad eum locum, Et facta est ruina eius magna. *Matth. 7*

Cum ergo non dixit, qui audit uerba mea tantum, sed addidit dicens, Qui audit uerba mea hæc, satis, ut arbitror, significauit, hæc uerba quæ in monte locutus est, tam perfecte instruere uitam eorum qui uoluerint secundum ea uiuere, ut merito comparentur ædificanti super petram. Hoc dixi, ut appareat istum sermonem omnibus præceptis quibus christiana uita informatur esse perfectum. Nam de hoc capitulo diligentius suo loco tractabitur. Huius igitur sermonis initium sic assumitur, Cum uidisset autem Iesus turbas multas, ascendit in montem, & cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius, & aperiens os suum docebat eos dicens. Si queritur quid significet mons, bene intelligitur significare maiora præcepta iustitiae, quia minora erant quæ Iudæis data sunt. Unus tamen deus per sanctos prophetas & famulos suos, secundum ordinatissimam distributionem temporum, dedit minora præcepta, populo quem adhuc timore alligari oportebat: & per filium suum maiora, populo quem charitate iam liberari conuenerat. Cum autem minora minoribus, maiora maioribus dantur, ab eo dantur qui solus nouit congruentem suis temporibus generi humano exhibere medicinam. Nec mirum est quòd dantur præcepta maiora propter regnum cœlorum, & minora data sunt propter regnum terrenum, ab eodem uno deo qui fecit cœlum & terram. De hac ergo iustitia, quæ maior est, per prophetam dicitur, Iustitia tua sicut montes dei: & hoc bene significat, quod ab uno magistro, solo docendis tatis rebus idoneo, do *Psalm. 35* cetur in monte. Sedens autem docet, quod pertinet ad dignitatem magisterij. Et accedunt ad eum discipuli eius, ut audiendis illis uerbis, hi essent etiam corpore uiciniores, qui præceptis implendis etiam animo propinquabant. Aperuit os suum & docebat eos dicens. Ista circumlocutio qua scribitur, Et aperiens os suum, fortassis ipsa mōra commendat aliquanto longiorum futurum esse sermonem, Nisi forte non uacet quòd nūc eum dictum est aperuisse os suum, quòd ipse in lege ueteri, aperire soleret ora prophetarum. Quid ergo dicitur? Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Legimus scriptum de apetitione rerum temporalium, Omnia uanitas & præsumptio spiritus. Præsumptio autem spiritus, audaciam & superbiam significat. Vulgo etiam magnos spiritus superbi habere dicuntur, & recte, quandoquidem spiritus etiam uentus uocatur. Vnde scriptum est, Ignis grando nix glacies spiritus procellarum. Quis uero nesciat superbos inflatos dici, tan *Psalm. 148* quam uento distentos? Vnde est etiam illud Apostoli, Scientia inflat, charitas uero aedit.

Vnu sicut.